

nota

nota magnitudinem dentis
apri

suum nuntium quem ceperant illi de hac insula Et isti nuncij & ille qui captus erat magno domino retulerunt multa magna & extranea mirabilia de Insula illa. Et illi nuncij apportauerunt magno domino dentes apri qui erant ultra modum magni. & magnus dominus ponderari fecit unum qui ponderauit quatuordecim libris. potestis ergo considerare quam est [magnus] aper qui tam magnos dentes habet. & dicunt quod ibi sunt apri magnitudinis buffalorum Ibi sunt multe giraffe & asini siluestres & habent bestias & aues tam diuersas a nostris quod est mirabile ad uidendum. Et ad grifones reuerti uolumus. illi de insula ipsos appellant ruchi & non nominant ipsos aliter. & nesciunt quid sit griffo. set nos uere credimus quod propter magnitudinem quam de auibus illis refferunt quod ille aues sint griffones. Nunc de hac insula diximus magnam partem & de eorum moribus alia in ea non sunt dicenda quare ulterius procedentes| tractabimus de 98^v insula zanghibar.

Hic naratur de insula çanghibar :/

isti adorant ydola
nota

Canghibar est quedam insula ualde nobilis & magna que circuit bene per duo milia miliarium Ipsius gentes adorant ydola. & loquelam per se habent nullique redunt tributum. sunt gentes grandes & grosse & sunt ita membrute & grosse quod uidentur esse gigantes & ultra modum sunt fortes. nam portant fascas per quatuor alios homines qui de insula non sint. & hoc non est mirabile quia comedunt uictualia per quinque alterius contrate. sunt gentes nigre & pergunt nude excepto quod coperiunt eorum naturam habent capillos tam crispos quod uix eos cum aqua facere possunt extendi. habent etiam tam magnum os & nasum & oculos ita grossos quod horibile quid uidetur. quoniam si uiderentur in alia patria. homines crederent quod essent demones infernales. Ibi nascuntur multi elephantes. & fiunt magna mercimonia de dentibus eorum. habent etiam leones alterius maneriei quam alij aliunde. habent insuper leopardos multos & lonças & omnes bestias diuersas ab alijs aliarum regionum. habent arietes totos unius stature & coloris nam sunt toti albi & capud nigri & in tota ista insula non reperiuntur arietes qui non sint ita facti —| qualiter uobis retulimus. sunt 99^r etiam ibi giraffe que sunt pulcerrime ad uidendum/ que taliter facte sunt. nam corpus sunt curte. & aliquantulum sunt basse a parte posteriori. nam crura posteriora parua sunt. collum uero sunt magne ita quod earum capita sunt alta a terra circa tres passus. Nullum offendunt & sunt coloris rubei & albi ad rotunditates. & hoc est pulcerrimum ad uidendum. volumus aliquid de elephantibus enarare. quando enim elephas cum elephante femina uult choire. tantum in terra fodit quod ipsam intus ponit cum utero a parte superiori euersam admodum mulieris. qui[a] naturam multum uersus uentrem habet. & elephans ipsam ascendit admodum vnus hominis. Et mulieres istius insule sunt turpissime ad uidendum. quoniam